



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De integritate Confessionis quoad circumstantias peccati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

dari Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris de tali culpa, quæ non advertitur. Sed communius docent, huiusmodi confessionem esse sacrilegam, invalidam, & repetendam; quia pœnitens advertere solet ad negligentiam culpabilem examinis.

Equidem distinguo; Si pœnitens doleat de peccatis ex motivo universalis, & non advertat ad hanc culpam, quam commisit in examine, certe suscipit Sacramentum validum, & formatum, nec est repetenda talis confessio; sed solum aperiendum est illud peccatum, quando illius recordabitur; At Sacramentum esset validum, & informe, si dolor non esset ex motivo universalis. Quod si pœnitens ad talem culpam advertat, & non præmittat examen debitum, Sacramentum erit invalidum, & confessio sacrilega, ac repetenda, cum pœnitens careat voluntarie dolore debito.

V. Quæritur ultimo; An Rustici, qui sine prævio examine ad confessionem accedunt, sint audiendi?

Respondeo, regulariter loquendo non esse audiendos; quia ex Trident. cap. 5. exigitur, ut pœnitens confiteatur, postquam diligentius se excuserit, & conscientiam finis omnes, & latebras exploraverit. Verum quando confessor est adeo expertus, ut sciat radicatus a Pœnitente peccata omnia eruere, & in memoriam revocare, eo saltem crasso modo, quo ipse pœnitens faceret, si suam moralem diligentiam adhiberet, possunt ex Vasq., Leand., Lug. audiri.

ARTICULUS II.

De integritate Confessionis quoad circumstantias peccati.

- I. Explicanda sunt in confessione etiam circumstantia morales peccatorum, quæ sunt septem celebri versiculo comprehensa.
- II. Singula ista circumstantia seorsim exponuntur.
- III. Circumstantia morales mutantem peccati speciem in confessione aperienda quam sint?
- IV. Quid si aut Pœnitens, aut Confessorius ignoret has circumstantias discernere?
- V. Num debeat semper circumstantia mutans speciem per modum circumstantia aperiiri; An possit etiam per modum novi peccati?
- VI. Probabiliter non datur obligatio aperiendi circumstantias aggravantes culpam notabiliter, si speciem non mutant.
- VII. Tenetur Pœnitens respondere, si de quantitate furti interrogetur a Confessorio.
- VIII. Nec datur obligatio confitendi circumstantias minuentes, nisi quando peccatum ratione talis circumstantia ad aliam speciem transferatur, aut de mortali evadat veniale.
- IX. Explicatur, quando actus plurimum preceptorum violationis contineat in se plures specie malitias in Confessione aperiendas.

I. PRæmissimus ex Trident., non solum confitenda esse omnia mortalia, sed etiam circumstantias, quæ peccati speciem mutant. Dicitur autem circumstantia id, quod accidentaliter circumstat actum humanum, qui principalem habet speciem ex suo objecto vel bono, vel malo. Porro
cir-

circumstantia peccati alia est physica, ut si quis occidat hominem gladio, vel fuste, vel veneno; Alia vero est circumstantia moralis, quae scilicet in genere moris mutat speciem peccati; ut si quis occidat laicum, vel clericum. Ex Trident. obligamur ad confitendas circumstantias non physicas, sed morales peccatorum; ut constat ex ratione, quam idem Trident. tradit cap. 5.; quia scilicet Confessarius est Medicus simul, & Iudex, & nisi morales circumstantias peccatorum poenitens confiteatur, non poterit de gravitate peccati recte judicare, nec poenam debitam injungere, nec aptum remedium applicare.

II. Communiter septem enumerari solent circumstantiae, illo versiculo comprehensae.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Circumstantia, *Quis*, statum indicat, & conditiones poenitentis, ut si sit clericus, aut uxoratus, aut habens votum, aut habens impotentiam adimplendi praecipuum.

Circumstantia, *Quid*, explicat ipsum peccatum, ejusque conditiones, videlicet quantitatem, & qualitatem; Verbi gratia, quantam rem furatus sit, & qualem. An scilicet rem Sacram? &c., si fornicatus sit, an cum conjugata, vel cum consanguinea, &c. Etenim persona, cum qua peccatur, est pars materiae illius peccati, & ideo sub circumstantia, *Quid* comprehenditur; sub qua etiam juxta satis communem opinionem comprehenditur effectus externus secutus ex peccato; Verb. gratia, damnificatio ex vulnere inflictio, mors ex veneno propinato; homicidium ortum ex ebrietate, &c. Licet Dian. part. I. tract. 7. resol. 74. cum Vasq., Suar., Lug., aliisque probabiliter putet, effectum secutum ex peccato commissio, quamvis in causa volitum, non esse in

confessione explicandum, quia non est novum peccatum; Inconscus tamen est apud Doctores, actum externum exponi debere in confessione; quamvis non addat malitiam supra actum internum, cum ea sit praxis Ecclesiae; Quare qui inflixit alteri vulnus lethale, ex quo sequitur mors, non sufficienter exponit peccatum dicendo, se habuisse animam vulnerandi lethaliter; licet probabiliter satis sit dicere, vulneravi aliquem lethaliter, non explicando mortem deinde sequutam; Nisi forte ratione censurae annexae debeat explicari; Et ratio est, quia effectus externus non censetur facere unum moraliter cum actu peccaminoso, sicut actus externus; unde potest accidere, ut qui aliquem vulneravit lethaliter, doleat de peccato, & sit in gratia, quando deinde sequitur mors. Praeterea actus externus si minus formaliter, est certe denominative liber ab actu interno, & ideo denominatur peccaminosus. Secus vero effectus peccati, qui quando contingit, nec formaliter, nec denominative tunc est liber.

Circumstantia *Ubi*, significat Locum, scilicet Sacrum, aut publicum, &c. *Quibus auxiliis*, appellat causas peccati, an cum complice, an opere Daemonis, &c. *Cur*, ostendit finem malum, ob quem peccasti. *Quomodo* appellat modum accidentalem, seu non per se conjunctum cum peccato; ut si furatus sis cum violentia, unde sit rapina, si ex consuetudine, ex conscientia erronea, ex passione, ex contemptu, cum inadvertentia, cum scandalo, &c. Ad modum etiam reducitur intensio actus, verbi gratia, odii, vel delectationis morosa, &c. quae licet per unicum instans duret, adhuc dicitur morosa, eo quod non transeat ad desiderium, & ad opus externum. Demum circumstantia, *Quando*, appellat tempus; verbi gratia,

an die festo laboraveris, &c. significat etiam durationem actus, verbi gratia, odii, omissionis restitutionis, &c. His explicatis

III. Quæritur primo; Quænam circumstantiæ dicantur mutare speciem?

Respondeo, tunc circumstantiam dare actui humano speciem aliquam malitiæ, quando per illam actus opponitur rectæ rationi, seu virtuti alicui obliganti sub gravi: Tunc vero circumstantia mutat speciem peccati, quando per illam actus habet novam, & specialem aversionem a recta ratione; & opponitur diversæ virtuti ab illa, cum qua prius opponebatur; Exempli gratia, Titius cognoscit non suam, hic actus habet ex circumstantia personæ oppositionem cum castitate obligante sub gravi, ne quis cognoscat non suam; & ideo peccat contra castitatem: Quod si Titius cognoscat alienam, seu conjugatam, contrahit per hanc circumstantiam novam alteram speciem malitiæ; quia sic violat etiam præceptum justitiæ obligans sub gravi; cum utatur uxore aliena, invito domino; Et quamvis consentiente marito cum illa peccet, adhuc peccat contra sanctitatem status matrimonialis, & contra reverentiam debitam Sacramento, & injuriam irrogat proli, adeoque peccatum multiplicis malitiæ commisit; Unde non sufficit dicere in hoc casu, Fornicatus sum; ut constat ex thesi 50. proscrip̃ta ab Innoc. XI., sed oportet explicare circumstantiam conjugatæ, non quidem ob injuriam, quæ irrogatur Marito, sed ob injuriam quæ irrogatur proli, & ipsi Sacramento, ac statui Matrimoniali. Item si Titius fureretur rem sacram, talis operatio non solum opponitur virtuti justitiæ, sed etiam virtuti religionis; Et ideo non satis est dicere, furatus sum: Idem dicas, si quis occidat Sacerdo-

tem, vel Parentes; non enim solum peccat contra justitiam, sed etiam contra religionem, occidendo Sacerdotem; & contra pietatem, occidendo Parentes.

IV. Hic tamen advertendum, quod quia apud Doctores in innumeris casibus in controversiam vertitur, num aliqua circumstantia mutet speciem peccati; idcirco rusticis has doctrinas ignorantibus expedit quod aperiant peccatum, prout est commissum, explicando illas circumstantias, quæ naturæ lumine videntur esse notabiles, relinquendo Confessario judicare, quale peccatum illud sit, & contra quam virtutem. Quod si ne Confessarius quidem sciat ea discernere, tunc solus confessarius peccabit, si ex crassa ignorantia id ignoret; secus vero, si inculpabiliter, vel ob perplexitatem, vel ob rei confessæ difficultatem. Pœnitens tamen abunde satisfacit suæ obligationi.

Ex dictis sequitur primo, esse in confessione explicandam circumstantiam, quæ mutat peccatum de veniali in mortale; Verbi gratia, si quis mentiatur, ut Bertam ad malum inducat; mendacium enim est contra veracitatem, & intentio inducendi ad malum Bertam est tum contra charitatem, tum etiam contra castitatem; Et si sit conjugata, est etiam contra justitiam, &c. Eodem modo, si quis furatus est rem gravem, debet id aperire, quia circumstantia illa gravis quantitatis licet non mutet speciem peccati relate ad objectum; at mutat speciem peccati, transferendo illud de veniali in mortale. Etenim peccatum veniale, & mortale, in quantum sunt offensæ Dei, plusquam specie differunt, & solum analogice conveniunt, ex D. Th., & aliis communiter.

Sequitur secundo, quod, si quis hujusmodi circumstantias ex oblivione,
aut

aut ignorantia omiserit, teneatur illas in nova confessione aperire. Ita communiter Doctores apud Suar. disp. 22. sect. 2., non secus ac peccata in una Confessione oblita, quando memoriae occurrunt in alia Confessione subjicienda sunt clavibus; ut constat ex thesi XI. ab Alex. VII. confixa.

V. Rogabis tamen; Num circumstantia mutans speciem confitenda sit per modum circumstantiae; an sufficiat illam confiteri per modum peccati? Verbi gratia, si quis furatus est rem sacram, debetne dicere, commisi furtum Sacrilegum, an vero potest dicere, commisi furtum, & commisi Sacrilegium? Item, si quis habens votum castitatis fornicatus est, potestne dicere, Fornicatus sum, & fregi votum in materia gravi? Vel si furatus sit ad adulterandum, potestne dicere, furatus sum, & habui intentionem adulterandi?

Respondeo, aliquando nullatenus posse explicari circumstantiam, nisi per modum circumstantiae; ut si quis occidat Sacerdotem, vel vim inferat puellae, &c., non potest in his casibus explicare circumstantiam, nisi per modum circumstantiae, eo quod, si occisor Sacerdotis dicat, Commisi homicidium, & feci Sacrilegium, non explicat speciem Sacrilegii, &c. Quando vero potest explicari circumstantia per modum peccati, ut in casu adducto de eo, qui habens votum castitatis fornicatus est, putat Suar. loc. citat. cum Sylv., quod possit confiteri, dicendo, fornicatus sum, & fregi votum in re gravi, eo quod quamvis tale peccatum sit physice unum, est tamen moraliter duplex; & sic potest proponi, quasi essent duo peccata. Usus tamen, & communis modus confitendi est contrarius, ut experientia constat; ne videlicet existimet iudex, non unico, sed duplici actu utramque malitiam contractam

esse, Quare in eo tantum casu id permitterem cum Tambur., quando scilicet poenitens oblitus est circumstantiam mutantem speciem, quae potest deinde explicari, non explicato peccato jam confesso: Verbi gratia, si quis furatus est ad mœchandum, & solum confessus est peccatum furti, potest deinde, quando recordatur circumstantiae, dicere, habui intentionem mœchandi; quia sic non inferatur, quod duo peccata commiserit, sicuti si in eadem confessione illa divideret. Et idem dicendum de peccatis continentibus plures numero malitias; Verbi gratia, si quis uno ictu occidit duos homines, non potest in eadem confessione dicere, feci homicidium, & deinde addere, Occidi alterum hominem; Quod si in prima confessione ex oblivione, vel ignorantia dixit, Occidi unum hominem, potest in altera confessione iterum dicere, Occidi hominem, confitendo homicidium alterius hominis.

VI. Quæritur secundo; An non solum circumstantiae mutant speciem, sed etiam notabiliter aggravantes intra eandem speciem aperiendae sint in confessione? Verbi gratia, si quis commisit furtum in magna quantitate, si peccavit coram Sanctissimo exposito, si contra vehementissimam inspirationem, vel firmissimum propositum, &c.

Respondeo, pro utraque sententia esse Auctores, & rationes magni ponderis: pro parte negativa D. Th., Vasq. Lug., Paludan., & alios quamplures: pro affirmativa Suar. Con., Cajet., Victor. Utraque proinde sententia communiter censetur esse probabilis, & quidem etiam practice; quia sententiae istae non spectant ad valorem Sacramenti, ita ut teneamur sequi tutiorem.

Qui negat obligationem confitendi circumstantias aggravantes, in eo ni-

titur; quia Trident. cap. 5. docet, necessario confitendas circumstantias mutantes speciem, nulla facta mentione de circumstantiis aggravantibus; Unde ne dicamus, mutilum fuisse Trident. in re tanti momenti, dicendum, obligationem confitendi circumstantias aggravantes non esse nobis a Christo Domino impositam. Præterea, quia esset grave onus, omnes huiusmodi circumstantias aperire. Demum ratio a priori est, quia Christus Dominus præcepit tantum confessionem omnium mortalium; sed qui tantum circumstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum explicat, confitetur omnia mortalia secundum propriam quidditatem eorum; ergo obligationi a Christo Domino impositæ satisfacit.

Qui vero asserit, esse confitendas, in eo nititur; quia propter eandem rationem, propter quam Trident. docet, aperiendas esse circumstantias mutantes speciem, aperiendæ sunt etiam aggravantes; quia scilicet Sacramentum hoc institutum est per modum iudicii; Iudici autem non solum delictum, sed etiam delicti gravitas debet innotescere, ut possit debitam pœnam injungere, & aptam medicinam applicare.

Dico equidem primo; Sanum consilium est in praxi, etiam circumstantias aggravantes fateri, & spectata ratione ab intrinseco, probabiliorem esse sententiam Suar. obligantem; Quia scilicet Confessarius ex Trident. debet recte censere, seu iudicare, non solum de crimine, sed etiam de criminis gravitate; Quis autem non videat, gravius notabiliter esse, verbi gratia, furtum mille aureorum, quam unius aurei? ergo debet circumstantia illa aggravans aperiri, ut possit de illa Iudex recte censere. Quamvis autem Trident. solum definiat, esse aperiendas circumstantias mutantes speciem,

Pars VI.

& de aliis præscindat, id ex eo est, ut habet Suarius, quia Trident. voluit statuere dumtaxat, quæ erant omnino certa apud Theologos, & præscindere ab iis, quæ apud Theologos erant dubia, ut est obligatio confitendi circumstantias aggravantes.

Dico secundo; Probabilis etiam est, & in praxi tuta sententia D. Th., & Vasq. deobligans. Ratio est, quia communiter Doctores docent, in dubio lætæ legis nullam esse obligationem servandi illam; sed in casu nostro saltem est dubium, an lætæ fuerit a Christo Domino ejusmodi lex confitendi circumstantias aggravantes; ergo ea non obligamur. Præsertim, quia etiam adversarii docent, intentionem, & durationem peccati, sicut etiam circumstantias minuents non esse necessario confitendas; ergo nec universim circumstantiæ aggravantes, (quæ scilicet diversum iudicium pariant, ac non notabiliter diversum) eo quod sunt intra eandem speciem, & quidditatem peccati, atque adeo non pertinent ad substantiam peccati, sed ad id, quod peccato est accidentarium.

VII. Oppones primo, longe gravius est furtum mille aureorum præ furto unius aurei, quam furtum rei sacræ, verbi gratia, relate ad furtum rei non sacræ; aut bestialitas relate ad sodomiam; ergo si tenetur pœnitens aperire has circumstantias mutantes speciem, ut possit Iudex recte censere de gravitate criminum, debet etiam aperire circumstantiam illam aggravantem.

Respondeo, nego antecedens; nam eo ipso, quod peccatum est contra diversam virtutem, eo ipso est secundum substantiam diversum, atque adeo majorem habet gravitatem peccatum, quod non adeo graviter opponitur duplici virtuti, quam peccatum, quod graviter eidem virtuti opponitur. Cæterum eo ipso, quod pœnitens

M tens

tens dicit, se furatum esse rem gravem, statim confessarius habet jus interrogandi de quantitate furti, & pœnitens tenetur respondere, ut rite possit confessarius de gravitate peccati judicare.

Neque dicas; Si non tenetur pœnitens aperire quantitatem furti, aut aliam circumstantiam aggravantem, neque tenebitur respondere confessario interroganti de illa.

Nam universim tenetur pœnitens respondere Confessario interroganti notitiam pertinentem ad rite judicandum, & medendum; Unde damnatur ab Innoc. XI. propositio 58. docens, Non teneri pœnitentem respondere confessario interroganti consuetudinem peccati. Scio, Leand. disp. 8. quaest. ultim. ex Hurtad., Granad., Navar., & aliis docere, quod si pœnitenti constet, nec ratione restitutionis, nec ratione cautionis in futurum indigere se directione, & consilio confessarii, non esse obligatum respondere confessario interroganti quantitatem furti. Verum quia Doctores isti eodem modo loquuntur de consuetudine peccati; idcirco utraque pariter sententia videtur rejicienda. Præterquamquod confessarius interrogare potest pœnitentem, non solum ut possit illum dirigere, ne iterum cadat, & ut restituat, &c., sed etiam ut possit pœnitentiam debitam gravitati furti injungere; ergo tenetur pœnitens juxta communem opinionem confessario interroganti de quantitate furti respondere, etiamsi non indigeat directione, & consilio confessarii.

Oppones secundo; Si qui furatus est decem aureos, posset confiteri furtum grave, non explicando quantitatem furti, pariter qui uno ictu occidit decem homines, posset confiteri, dicendo, commisi homicidium; Nam eodem modo in furto illo decem aureorum continentur decem fur-

ta unius aurei, ac in illa occisione decem hominum continentur decem homicidia.

Respondeo, ex infra dicendis art. 6. non satis esse in tali casu dicere, commisi homicidium, quia non explicaretur peccatum, prout est in se; sufficeret dicere tamen, uno ictu plures homines occidi, non explicando, decemne, an centum fuerint; quia licet tale peccatum decem numero malitias homicidiorum contineret; non tamen contineret decem numero peccata: Nos autem ex Trident. tenemur quidem explicare numerum peccatorum, & circumstantias speciei diversas, non vero numerum malitiarum in singulis peccatis contentarum.

VIII. Quæritur tertio; An aperienda sint in confessione circumstantiæ minuentes?

Respondeo, si circumstantiæ minuant peccatum intra eandem speciem, probabilius est, non teneri nos ad illas explicandas in confessione. Ita ipse Suarius, qui vult, circumstantias aggravantes esse aperiendas; & communissime Doctores apud Leand. disp. 8. quaest. 5. contra Sor., Scot., Canum, apud Suar. disp. 22. sect. 3. Ratio est, quia confiteri circumstantias minuentes potius deservit ad excusationem, quam ad accusationem. Quod si circumstantiæ minuant peccatum transfereudo illud ad aliam speciem, certe tenemur circumstantias minuentes aperiere: Id autem potest quatuor modis accidere.

Primo, si quod erat mortale ex circumstantia evadat veniale, ut si blasphemaveris ex subito motu, & non plena deliberatione, & advertentia. Secundo, si actus cateroqui malus ratione circumstantiæ non sit malus; ut si quis occidat hominem in sui justam defensionem, certe non potest in confessione dicere, Occidi hominem, non addendo hanc circumstantiam

tiam minuentem. Tertio, si peccatum, quod ex se habet plures species malitiæ, ratione circumstantiæ non habeat nisi unam; Verbi gratia, si quis occidit Sacerdotem sciens illum esse hominem, sed invincibiliter ignorans esse Sacerdotem, non potest confiteri peccatum, dicendo, Occidi Sacerdotem, faciens se reum homicidii, & Sacrilegii, ubi solum homicidii est reus. Quarto, si actus esset unius speciei, & ratione circumstantiæ evadat alterius speciei moralis longe levioris: Verbi gratia, si quis volens occidere equum alterius, occidat ex ignorantia invincibili hominem, non potest dicere in confessione, Occidi hominem, faciens se reum homicidii, ubi tantum est reus occisionis equi, quam intendebat; Tenetur itaque has circumstantias minuente, utpote mutantes speciem, aperire, quia aliter decideret Judicem in re gravi.

IX. Queritur ultimo; An quilibet actus, qui sit plurium præceptorum violatio, eo ipso plures in se malitias specie diversas contineat? Exempli gratia, fingamus primo, Antonium ex voto obligatum jejunare singulis Sabbatis, si omitat jejunare eo Sabbato, in quo incidit dies Quadragesimæ, Quatuor temporum, & Vigilia Sancti Matthiæ, satisfacit ne dicendo, semel in Quadragesima fregi jejunium? Secundo, fingamus Petrum conjugatum rem habuisse cum Berta alterius viri uxore, satisfacitne dicendo, Rem habui cum conjugata? Tertio fingamus, Titium die dominico, in quo incidit festum Sancti Matthiæ, omisisse sacrum, satisfacitne dicendo, Omisi sacrum in die festo?

Respondeo, tunc solum contrahi malitias specie diversas, in confessione aperiendas, quando actus opponitur diversis virtutibus graviter obligantibus, aut eidem virtuti modo notabiliter diverso; non vero quando

opponitur pluribus præceptis. Quare Titius, qui omisit Sacrum a pluribus præceptis impositum ex eodem motivo virtutis religionis, sufficienter confitetur, dicendo, Omisi sacrum die festo, etiam si in eundem incidat, verbi gratia, dominica, & simul festum Sancti Matthiæ; Contra vero Antonius non integre confitetur, dicendo, fregi semel jejunium in Quadragesima, quia cum ex voto etiam teneretur ad illud jejunium, omisso illius non solum est contra virtutem temperantiæ, sed etiam religionis, quæ graviter obligat ad standum promissis Deo factis: Nec integre confitetur Petrus, dicendo, Habui rem cum conjugata, non explicando se pariter esse conjugatum; tum quia duplicem irrogavit injuriam, alteram suæ uxori, alteram marito Bertæ, ut notat Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 15. tum etiam, quia, ut notat Lug. disp. 16. sect. 5. diversa specie est obligatio, qua quis tenetur non violare suum matrimonium, ac illa, qua tenetur procurare, ne alter violet matrimonium suum.

Hic autem adverte, quod si circumstantia aliqua opponitur quidem diversæ virtuti, sed non graviter obliganti, non est necessario aperienda in confessione, cum non sit nova malitia: Exempli gratia, juxta fatis communem opinionem, si defloratio fiat cum consensu libero, & voluntario fœminæ, non tenetur poenitens dicere, quod commiserit stuprum, sed satis est dicere, quod fornicatus sit cum soluta, quia defloratio opponitur quidem virginitati, sed non graviter obliganti, eo quod virginitas non cadat sub præceptum, sed sub consilium, ut testatur Apost. 1. ad Corinth. 7. dicens: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consiliunt autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino, ut sim fidelis.*